
DISPUTATIO IURIDICA INAUGURALIS DE BENEFICIO DATIONIS IN SOLUTUM.

QUAM
ADIUVANTE CLEMENTIA DIVINA
EX DECRETO, PERMISSU ET AUTHORITATE AMPLISSIMI JCTORUM IN ILLUSTRI IULIA ORDINIS,
PRÆSIDE
GEORGIO WERNERO, I.U.D.
CANONICI AC FEUDALIS PROFESSORE PUBLICO FACULTATIS IURIDICÆ HODIE DECANO, ET DICASTERII GUELPHERBYTANI ASSESSORE,
DN. PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO ÆTERNUM DEVENERANDO,
PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS DOCTORALIBUS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBIICIT




WOLRAD von Brüggen
CORBAC. UUALDECC.
AD DIEM SEPTEMB.
IN IULEO MAIORI.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typog.
ANNO CIↃ IↃCLX.

D. T. O. M. D.

L. 16. c. de Solut.



Vm, à quo mutuam ſumpſiſti pecuniam, in ſolutum nolentem ſuſcipere nomen debitoris tui, compelli, juris ratio non permittit.

Authent. *Hoc niſi C. d. tit. ex N. 4. c. 3.*

Hoc, niſi debitor in pecunia vel aliâ re mobili ſolvere nequeat; tunc enim res immobilis, quam debitor habet meliorem, ſolvi poteſt, factâ per judicem ſubtili ejus cauſæ æſtimatione: Vt rem prædictam & debitori ſolvere, & creditori liceat petere, præſtandâ creditori cautelâ de evictione, quæ debitori poſſibilis ſit, quod eſt in omni actione. At, ſi creditor paratus ſit, emptorem rei præſtare, oportet debitorem, cautelâ judicis arbitrio creditori præbitâ, rem tunc diſtrahere, ut ſatisfiat creditori.

Receſſ. Imper. de ann. 1654. §. So viel nun. 165.

So viel nun die Capitalia anlangt/ibi: oder auff den Fall er bey dieſen Geldklemmen Zeiten keine bahre Mittel hette/ noch erlangen könte/ durch dargebung anderer beweg- vnd vnbeweglicher Güter/ an ſtatt bahrer Bezahlung/ (jedoch

daß dem Creditori die Wahl/ nach Besag gemeiner Rechte freystehe/) auff deroselben vorhergehende zwischen den vorigen vnd gegenwärtigen zeiten auff dz Mittel gestelte billige Schatzung abzulegen / der creditor aber solche anzunehmen schüldig seyn.

I.

INter alia beneficia ac privilegia, clementiâ Imperatorum ac benignitate temporum debitoribus calamitate bellica pressis, fortuitoque casu ad incitas redactis, concessa, non minimum est, quod hi pro pecunia numeratâ mutuo sumptâ, creditorib⁹, alia bona mobilia ac immobilia in solutum dare possint. Etsi enim creditoribus liberum sit, aliud pro alio volentes accipere, *l. 17. C. de solut.* ut tamen ipsis invitis prædium seu nomen aliquod pro pecuniâ obtrudi possit, ratio juris ac justitiæ haud permittit, *text. expr. l. 2. §. 1. ff. de R. C. l. 16. C. de Solut.*

II.

Cum autem natura in singulos dies novas edere formas deproperet, *2. F. 24. §. sed non est alia justior l. 2. §. 18. C. de V. I. E.* novique quotidiè emergentes casus novis indigeant auxilijs ac remediis; varia hinc præsidia miseris debitoribus clementer data, exorta: quibus egenis, inediâ consúmptis, metu ac tremore violentæ invasionis confectis, ædibus expulsis, bonis spoliatis, possessionibus exclusis, prædijsque fugatis, clementiâ legum, benignitateque temporum infelicium, succurritur.

III.

Etsi enim tempus per se non sit modus introducendæ vel finiendæ obligationis, *text. l. 44. ff. de O. & A.* simile Jus tamen fieri posse per exceptionem, testatur *l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Debitori itaque imputandum non est, qui id quod debet, necessitate, cui is culpâ causam non

dedit,

dedit, interveniente, solvere nequit, *arg. text. eleg. l. 60. §. 4. ff. de R. N.* Qui enim id facit, quod potest, legem adimplet, *arg. l. 3. §. 4. ad SCt. Sylan. confer. D. Richter p. 2. decis. 74.*

IV.

Si unicum inspiciamus §. *de indagandâ. 8. Pacific. Osnabrug.* annon clementia Imperatoris Ferdinandi III. gloriosiss. memor. Statuumque, Imperij fulcrorum, pro conservatione subditorum paterna provisio, sat abundeque inde elucescit? Ibi enim spes Creditoribus suum anhelantibus, debitoribus verò miseriam obtendentibus, facta: *De indagandâ aliquà ratione & modo æquitati conveniente, qui persecutiones actionum contra debitores ob bellicas calamitates fortunis lapsos, aut nimio usurarum cursu aggravatos, moderatè terminari, indeque nasc ituris majoribus incommodis, etiam tranquillitati publicæ noxiis obviam iri possit: Cæsarea Majestas curabit exquiri tàm judicij aulici, quàm Cameralis vota & consilia, quæ in futuris Comitiis proponi, & in constitutionem certam redigi possint &c.*

V.

Quantà curâ ac studio deinde, Dnn. Consiliarij judicij Imperialis Aulici, ac Assessores Cameræ requisiti id effecerint, vota illorum, Imperatori Statibusque Imperij in Comitijs ultimis Ratisponensibus super *d.* §. elaborata, exhibita, satis superque testantur. Quorum Consiliorum summa eo tendebat, ut salva maneret creditoribus sors principalis, salvæque pensiones; saltem in harum exactione hoc servaretur temperamentum, ut in futuris proximis quinque annis pensio una cum dimidiâ annuâ, hisce vero elapsis, singulis annis duæ solvantur usque dum ratione præteritarum pensionum creditoribu

 satis-

ſatisfactum fuerit, Quid autem circa hoc ſtatutum ſit, *vid. all. Receſſ.* §. §. *163. ſeqq.*

VI.

Antequam verò ad propoſitam diſputationis materiam me accingam, nonnulla debitoribus, qui ex accidenti ſeu caſu fortuito facultatibus lapſi ſunt, egeſtate calamitateque bellicâ exhauſti, *arg. Nov. 135. præfat.* competentia beneficia, ſanctione noviſſimâ ex parte confirmata, præmittere placet.

VII.

Primum beneficium debitoribus Lege Juliâ jam ante conceſſum, eſt *Ceſſio Bonorum*: quæ eſt actus, quo debitor ære alieno oneratus, bona ſua creditoribus ad eorum ſatisfactionem, vitandumque carcerem, aliasve moleſtias, offert ac dimittit, *arg. l. 4. C. qui bon. ced. poſſ.* Flebile ſanè remedium ac auxilium, *l. 7. ſeq. C. d. t.* utilitate tamen ſua tàm ratione creditoris, quam debitoris non carens. *Confer. l. 1. l. 6. C. d. t. l. 4. pr. l. 3. C. de bon. auth jud. poſſ.*

IIX.

Secundum, *Beneficium Competentiæ*: ne ſcil. conveniatur debitor ultrâ, quàm facere poſſit; ſed tantum ei relinquatur, unde victum & amictum habeat. Etſi hoc jure noſtro Iuſtinianeo certis tantum perſonis detur, uti ex *l. 16. l. 17. l. 19.* §. *1. l. 30. ff. de re judic.* apparet, ex benignitate tamen idem debitoribus bello alijsve funeſtis caſibus exhauſtis, nec ſine ratione, conceſſum, *arg. §. f. I. de action.* Vbi notanter dicitur: *quod inhumanum ſit, ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum condemnari. Add. d. N. 135. præf. Conſult. D. Tabor. de præſid. debit. n. 2.*

IX.

Tertium, *Particularis Solutio*: Quando nempe debitori liberum eſt, ſummam debitam particulariter ſolvere;

Etſi

Etsi hæc alias non minima incommoda habeat, *text l. 3. fam. ercisc.* ICtus Iulianus tamen eleganter dicit: *Quod humanius acturus videatur prætor, si actorem compulerit, ad accipiendum id, quod offeratur*; ex ratione decidendi hâc, *quòd ad ejus officium pertineat, lites diminuere, text, l. 21. ff. de R.C. l. f. pro suo.* Nam qui ad solutionem se offert, audiendus, *arg. l. 73. de procur. d. l. 60. §. 4. d. l. 3. §. 4. Confer. D. Carpz. Resp. Elect. L. 5. T. 9. Resp. 99.*

X.

Regula quidem est: *Integrum debitum solvendum; l. 41. §. 1. de Vsur. l. 9. C. de solut. d. l. 3. fam. ercisc. l. 73. de Reg. jur.* sed quæ exceptionibus multis obnoxia, *d. l. 21. d. l. 41. §. 1. l. 4. §. 6. de statu lib. l. 4. C. de Collat. fund. patrim.* Quidnî ergo propter calamitatem bellicam particularem solutinem accipere cogatur creditor? *arg. d. l. 4.* Cum enim publicæ pensitationes privatis longè sint favorabiliores, certè ob miseriam debitoris, in quam ille culpâ suâ non incidit, (aliàs enim frustrâ implorare legis auxilium, *l. 37. de minor.*) etiam jus creditorum, aliquantulum dormire rationis, imò summæ æquitatis est, *arg. pr. J. de except.* Atque huc tendere videntur Consiliarij Aulîci in supra laudat. Consultatione ad Imperatorem missâ vers. dieweil sich aber: ibi, So wird zu dem End vor daß dritte temperament vorgeschlagen/ daß bey den nicht so gar ruinirten debitorn/ damit sie die execution vnd Bezahlung vmb so viel weniger empfinden/ daß debitum dividirt/ vnd ihnen nur eine gewisse leidentliche Summa von Jahr zu Jahr zu bezahlen aufferleget werde.

XI.

Cui consultationi in quantum subscriptum, *vid. Recess. noviss. d. §.* So viel nun *vers.* fall aber & *vers.* wehre es aber. Quamquam & hîc prudentis judicis arbitrium cessare

ſare non debet, *text. optim. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* quod pro ſtatu debitoris ac creditoris, conſideratis probe circumſtantijs ita dirigendum, quod ſcil. hæc demum ſit juſtitia, quæ ſuum cuique ita tribuat, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione, *per text. eleg. l. 31. §. 1. ff. depoſ.* Nec ſemper delicatus debitor, nec etiã onerosus creditor audiendus eſt, *text. l. 25. in fin. de pignor. act.* neque æquum, & à noſtrorum temporum juſtitiâ alienum, *uti ſcitè Imperator noſter Iuſtinianus Edict. 7. c. 3. loquitur*; Eos, qui bene de alijs merentur, rebus ſuis privari, qui vero debent ſuperbire de alieno, add. d. §. verſ. wenn auch, *Receſſ. noviſſ.*

XII.

Quod de Beneficio *Alterius Tanti* à nonnullis profertur, ac ut *optimum* deprædicatur, id nullum eſſe, ſi de jure noviſſimo quæſtio ſit, inde videtur colligi poſſe: quo poſito, rationes patronorum hujus, ut ut aliâs plauſibiles ſatis videantur, una liturâ inductæ erunt. Quò etiam tendit Conſilium Dn. Aſſeſſorum Cameræ Imperialis modo laudatum: *ibi.* vielweniger das neulich von etlichen hervorgesuchtes / den bekandten Reichs Constitutionibus, vnd deroüblichen obſervantz zu wiederlauffendes / ſo wol Capital, als penſiones hochſchädlicher weiſe abſorbirendes alterum tantum einiger maſſen gutt heiſſen konnen / angeſehen / daſſelbe den Creditoribus vnverſehener dinge viel Millionen nicht allein benehmen / ſondern auch ein verderbliche condictionem indebiti über den halß ziehen würde.

XIII.

Idque etiam *per all. Receſſ.* ex parte confirmatum: *Sors ſc. principalis* creditori integra permanſit, *d.* §. So viel nun *pr.* penſiones autem præteritæ reſtantes ad quartam partem remiſſæ ſunt, conſideratis tamen circumſtantijs, *d. Rec.* §. die verfloſſene. Quod beneficium jam ante laudavit *D. Carpz.*

D. Carpz. de asyl. debit. c. 4. n. 115. seqq. Confer. præ cæteris Consultiss. D. Hahn. Antecessor Academiæ Iuliæ primarius in Observ. VVesenbec. p. 2. p. 73. in addit. Temperamentum autem in harum exactione observandum præscribitur. *d.* §. die verflossene. *seq.* Futuræ usuræ quincunces etiam, manente penes debitorem sorte principali, permissæ. Nec inde habet, de quo jure conqueri possit debitor, ac si quid fiat contra legum tenorem, & quod accessio sic fiat major principali: Notabiliter enim juris illud brocardicum limitatur, *Nisi* illa sit ex diversâ causâ; tunc enim quamdiu hæc militat, nil absurdi habet, quod accessio alio atque alio jure censeatur, *prout Consultiss. D. Schütz antehâc Professor Gissæ laudatissimus, nunc Consiliarius Imperii Iudicii Aulici gravissimus, Præceptor meus nunquam satis laudandus, in Dictat. pandect. ad tit. de usur: vol. 1. docuit, argumentaque à patronis Alterius Tanti in medium prolata solidè refutavit.*

XIV.

De Beneficio *Induciarum Moratoriarum*, scil. quarto, quarum sedes ordinaria, *in l. f. C. qui bon ced. poss. l. 2. l. 4. C. de precib. Imper. offer. Reform. polit. de anno 1577. rubr.* von verdorbenen Kauffleuten / quid eæ sint, quomodo concedendæ, ac quibus, quænam libelli pro harum concessione requisita? multis hic adferre ratio temporis institutique mei non patitur; plurima videri possunt apud *D. VVilhelm. Anton. tract. eleg. de rescript. morat. Coll. publ. de Stat. R. R. Cancellar. Schützens. p. m. v. 2. D. 9. th. 11. seqq.* Quid hodie per sanctionem novissimam de his constitutum, videre licet. *sæpè Laud. Recess.* §. dieser unserer. *168.*

XV.

Sequitur non minimum beneficium, clementia Imperatoris nostri Iustiniani debitoribus concessum, *Datio*

ſcil. *bonorum in ſolutum: d. N. 4. c. 3.* ex qua deſumpta diſputationi huic præmiſſa Authentica. *Hoc niſi. C. de ſolut.* ſubſequentibus temporibus, gratia Legislatorum confirmatum, ſuadente hoc, tam debitorum indigentia, quam creditorum propria utilitate ac neceſſitate, *Receſſ. noviſſ. d.* §. So viel nun *verſ.* oder auff den Fall. Verba emphatica *in d. N.* habentur, *ibi: Quamobrem quod cum injuria & affectu acerbo perduceret creditorem & debitorem; hoc Nos clementer ſimul & legaliter decidentes, & infelicibus debitoribus auxiliamur, & acerbus creditoribus non apparebimus duri, cauſam eis deputantes, ad quam ſi permanerent inobedientes, tamen modis omnibus advenirent. &c.*

XVI.

De quo legali præſidio, habita temporis ac virium ratione, nonnulla diſputationis inauguralis loco proponere operæ pretium me facturum exiſtimavi, *arg. l. 25. de liber. leg.* Materia hæc quidem ampliorem deductionem expoſceret; verùm, ne verboſos commentarios hîc faciam, accuratiorem illius diſquiſitionem, in aliud commodius tempus, Deo T. O. M. vitam viresq; clementer concedente, rejicio, ſperans, me, ſi non omnia ordine ſuo hac vice propoſuerim, conſiderata temporis ad elaborandum ſuperveniente brevitate, à doctioribus veniam impetraturum.

XVII.

Cum JCti noſtri verborum non minimam curam agant, placet & mihi nonnulla adducere, quæ ad materiæ hujus intellectum faciliorem faciunt. *Dare* multas ſignificationes habet; propriè autem denotat dominium transferre, §. *14. I. de act. l. 75. §. f. de V. O. Datio*, vel vera, vel ficta, *Exempla hujus l. 13. l. 19. §. f. de R. C.*

XIIX.

XIIX.

Solutionis vocabulum etiam ambiguum esse constat: sumitur enim *vel latè*, quat. significat ipsam obligationis dissolutionem; quo significatu est effectus omnium modorum, quibus ipso jure tollitur obligatio, *uti in l. 54. de solut. l. 176. de V. S. vel strictè*, quatenus denotat proprium & specialem modum tollendi obligationem, qui perficitur reali præstatione ejus, quod debetur, *l. pen. l. 49. d. t. l. 9. §. 3. de pign. act.*

XIX.

Sumitur hoc loco, in lata significatione: hinc *in solutum dare*, An Bezahlung i. e. an statt der Bezahlung dargeben. Inde *Datio in solutum*, quæ alias vocatur solutio res præsentativa seu surrogativa, *arg. l. 29. C. de evict.* à nonnullis, prodromus & antesignanus cessionis. Item subsidiaria solutio. *Conf. Manz. patroc. deb. dec. 1. q. 9.*

XX.

Præmissis hisce, subsequitur definitio realis, nempe, *Datio in solutum* est beneficium, quo debitoribus casu fortuito ac calamitoso ad paupertatem redactis, quibus adhuc prædia & res immobiles supersunt, quæ emptorem non inveniunt, ea creditoribus loco solutionis dare fas est, *arg. d. N. & d. auth. Rec. noviss. d. §.*

XXI.

Dividi solet, quod alia sit *Voluntaria* seu *extrajudicialis*, alia *necessaria* seu *judicialis*. *Illa*, quæ fit creditori ab ipso debitore extra judicium, *arg. l. 9. C. de rescind. vendit. Hæc*, quæ fit creditori à judice, pro executione rei judicatæ, *arg. l. 9. ff. de fideic. libert.* Quæ propriè etiam *Adjudicatio* appellatur. Requisita hujus, *à Dd. in l. 15. ff. de re judic.* traduntur. *Confer. Alex. 1. Consil. 52.* Quanquam nec semper

ordinem *d.l.15.* observari posse testetur, *Carpz. asyl. debit. c.4.n.172. seqq.*

XXII.

Sed *necessaria* propriè beneficium dici nequit, *arg. l. 67.pr. de leg.1.l.83.§.1.de V.O.* nec etiam tradita definitio huic commodè applicari potest; unde de judiciali peculiariter hîc tractare supersedebo, nisi quatenus materiæ affinitas, mentionem illius facere exposcit. De hàc, qualis sit,& quis ejus effectus, *vid.tit.ff.de reb.author.jud possid. ibiq; Dd. Berlich. p.1. Concl.pract.81. Carpz.p.3.Ipr.for.C.16 D.27.*

XXIII.

Causa impulsiva, beneficij hujus, est necessitas ac indigentia humana. Sic enim Imperator *d.N.4.c.3.pr.* ait. *Si quis mutuaverit aurum, debitoris substantia credens, at ille ad restitutionem auri non sit idoneus: Necessitas* sanè, ingens ac durum telum, non subest legibus, sed ipsa legem facit. *text.l.27. de manum. test.* Sine culpa tamen proveniens, *d.N.135.præf.* Necessitas enim, quæ potest esse non necessitas, non excusat, *arg.l.7.§.1.ff. qui satisd.cog. text.notab.l.2.§.8.ff. si quis caut.in jud.* Præsupponendum itaque, debitorem id, quòd in obligationem deductum est, solvere non posse. *Expressa regula est, d.l.16.C. de solut. AEquissima vox & jus gentium præ se ferens, redde quod debes. Senec.Lib.3.de benef.c.14.* Unde debitor objectu debitoris sui se tueri nequit, *arg.l.6.§.1.quib.mod pign.solvat.* Atque dudum in proverbium ivit: daß wer sein bahr außgeliehenes Geld wieder haben will / demselben es gar nicht zu verdencken stehe. *Confer. D. Tabor. de præs. debit. n.17. & supr. thes.15.*

XXIV.

Regula quoq; est, aliud pro alio invito creditori solvi

non

non posse, *d, l. 2.* §. *1. de R. C.* consentienti vero id fieri posse, testantur *l. 17. l. 20. C. de solut. l. pretii. C. de resc. vend. arg. l. 29. C. de pact.* Ast *exceptio in auth. hoc nisi. C. d. t. Nisi* debitor in pecunia vel alia re mobili solvere nequeat; tunc enim res alia immobilis, & quidem, quam habet meliorē, solvi potest. *Confer. l. f. §. 4. & 6. C. de iur. deliber.*

XXV.

Cæterùm, quando debitor depauperationem allegat, illam probare tenetur, *arg. l. 8. & l. 10. ff. de V. O.* Non enim debitor simpliciter excipit de paupertate, sed calamitate belli se non solvendo factum esse contendit, quo ipso se divitem fuisse, & nunc facultatibus lapsum fatetur; quod, quia in facto incerto consistit, ei ceu affirmanti, sive sese in negativa fundāti probationē incumbere rectiùs asseritur, *arg. l. 5.* §. *1. qui. satisd. cog.*

XXVI.

Causam remotam, dico esse *legem*. Clementia enim legis sancitum, ut debitor aliud pro alio in solutum dare possit, *d. N. 4. c. 3. pr. & vers. sed hoc. d. Recess. ult.* §. *165. vers.* oder *arg. l. 2. de ll. Tria* per all. N. 4. specialiter inducta esse contra juris communis regulas patet, 1. quod Creditor aliud pro alio recipere cogatur, *arg. l. 7. d. LL. d. N. vers. si enim non sit.* 2. Etsi regulariter venditor emptori de evictione non teneatur, nisi re evicta vel sublata, *text. l. 74. ff. l. 3. C. de evict.* ideoque nec de evictione cavere, prætorquam ubi hæc in limine contractus imminet, *text. l. 24. C. d. t.* hoc tamen casu, debitor, rem immobilem pro quantitate debiti in solutum dare volens, tenetur creditori cautionem de evictione præstare possibilem, per pignora, vel fidejussores; & si hoc facere nequeat, ad juratoriam admittendus erit, *arg.* §. *sed hac hodie. I. de satisd.* 3. Quod contra re-

tra regulam *in l. 21. C. mandat.* teneatur rem meliorem vel optimam dare, per quam penitus creditori sit consultum. *Ratio huius* est, quod creditor gravatus in uno, sc. rem pro pecunia accipere, in alio iterum sublevandus sit, *arg. l. 30. pr. ff. de iureiur.* Neque obstant. *Auth. hoc ius porrectum. C. de SS. Eccles. Nov. 120. c. 6. seq.* ad quos textus responsionem discursus fortean suppeditabit.

XXVII.

Jam de personis, & quænam bona insolutum dare possint, talem formo propositionem. Quicunque consensum ac rerum suarum liberam administrationem habent, illi bona sua in solutum dare possunt; Actuum enim humanorum perfectio & validitas duo requirit principia in jure copulata, nimirum, *voluntatem*, & *potestatem* quorum alterum si desit, nihil est, quod agitur, *Klock. de contribut. c. 12. n. 55. Vultei. 3, Cons. Marp. 35.* Ex. gr. Etsi pupillus rerum suarum dominus sit, libera tamen illarum administratio ac alienatio ipsi est adempta; quod, uti est in legis potestate *arg. d. l. 2. de LL.* ita libertatem illam disponendi *l. 21. C. mand.* ex supereminenti dominio aliquantulum restringit ac dormire facit liberam administrationem, nec id sine magna ratione, *arg. §. f. quib. alien. lic. §. f. de his qui sui vel al. iur.*

XXIIX.

Hinc, alienare prohibitus, in solutum dare regulariter quoque prohibitus est, *arg. l. 46. de usucap. vel l. 1. pro solut. l. 4. de publ. in rem.* Jam licet subsumere. Atqui vasallus *2. F. 52. 2. F. 55.* maritus. *pr. I. quib, al. lic. vel non.* pupillus, *§. 2. J. d. t.* Infantes. *l. 18. C. de jur. delib. l. 3. C. de acquir. poss.* Minor *text. expr. l. 15. C. de prad. & al. reb. min. text. l. 40. §. 1. de minor 25. ann.* Furiosus, mente captus, *l. 5. l. 40. l. 124.*

l. 124. de R. I. prodigus. *l. 1. de curat. fur.* tutor vel curator. *l.22.l.46.ff.l.16.l.22.C. de adm. tut.* creditor. §. *1. J. d. t. &c.* regulariter alienare prohibiti sunt. Ergò. *Regulam* do, sed multis subjectam exceptionibus, quas omnes hic recensere non vacat.

XXIX.

Persona, cui bona in solutum dari possunt, est creditor, vel is, cui libera in solutum accipiendi potestas ac facultas à lege vel homine data est. Nam qui specialiter non excipitur, sed dominus est, consensum, rerumque suarum liberam administrationem habet, is sicut in solutum dare, ita etiam accipere potest. *Confer.* §. *2. I. quib. alien lic, vel non.*

XXX.

Obiectum, seu quod in solutum dari possit, sunt res mobiles ac immobiles, in commercio existentes, nec alienari prohibitæ. Hinc iterum *maiorem talem constituo*: Quodcunque in commercio est, nec alienari prohibitum, illud in solutum dari potest, *arg. l. 9. de solut.* & sub sumo, atqui Fideicommissum *l.3.* §.*2. C. comm. de legat.* Res Ecclesiasticæ *l. 14. C. de SS. Eccles.* Feudum *d. 2. F. 52. & 55.* Bona dotalia *d. pr. I. quib. al. lic.* Bona minorum. *d. l. 22. C. de adm. tut, d. l. 15. C. de præd. min.* regulariter alienari prohibita, E. nec in solutum dari possunt. Thesis hæc per ampliationes ac restrictiones latius deduci potuisset, verum ne disputatio hæc excrescat, sufficiat illa regulæ loco posuisse, accuratiori enucleatione in tempus commodius reservatâ.

XXXI.

Quin vero Emphyteusis in solutum dari possit, nullum habet dubium, cum emphyteuta jus suum tertio etiam ven-

iam vendere possit: datio insolutum autem venditioni quam maximè sit similis, *l. f. ff. ex quib. caus. in poss.* Neque obst. *l. 3. C. de iur. emphyt.* Resp. enim, quod alienatio Emphyteutæ in illâ lege non interdicatur, sed jus prælationis Domino directo tantum concedatur; quod tantum abest, ut arguat facultatem vendendi ademptam, ut potius fortissimè eã inferat. Hinc in Emphyteuseos datione in solutum, Laudemium Domino præstandum esse tradit. *Ioseph. Ludovic. decis. Per. 60. n. 7.* hâc ex ratione, quod aliàs facilè aperiretur via fraudibus in præjudicium dominij, ac res emphyteutica transferretur quovis sub fuco. *Amed. de Pont. quæst. laudem. 27.*

XXXII.

Sic *rem alienam* in solutum dari non posse, ad hunc effectum, ut inde plena liberatio subsequatur, tradit, *doctissimus Faber in Codic. L. 8. T. 14. D. 8. n. 14.* Datio enim insolutum nocet debitori tantùm, non alijs habentibus jus in re. *Menoch. Consil. 1110. n. 15. & Cons. 1111.* Si enim res aliena detur, superest actio de evictione adversus in solutum dantem. An verò re in solutum datâ evictâ, pristinâ actione adhuc agi possit, an vero sola supersit actio de evictione? consulatur *modò laudatus Antonius Faber, in Cod. l. 8. T. 30. D. 49. add. l. 75. §. f. l. 20. l. 69. l. 98. ff. de solut.* Et quæstio hæc per distinctionem expediri recte posse videtur.

XXXIII.

An autem nomen, & quale in solutum dare possit debitor? *vid. l. 6. C. de O. & A. Mev disc. lev. deb. c. 4. §. 10. n. 32. seqq. D. Carpz. Resp. Elect. l. 4. T. 1. Resp. 3. Berlich. p. 2. decis. aur. 296. Boër. decis. 57.*

XXXIV.

Formalia requisita autem, quando ad dationem bonorum

norum in solutum perveniri possit, partim *ex saepè all. N. 4. c. 3.* partim *ex sanct. noviss.* desumi possunt. Horum primum, ut debitor reverâ sit destitutus medijs, id praestandi, quod est in obligatione. 2. Vt prius, quam immobiles res cogatur creditor accipere, mobiles distrahi, & inde solutionem fieri debitor patiatur. 3. Vt si illae non adsint, immobiles demum distrahantur. 4. Si nec hae emptorem reperiant, ut optimae ac praestantissimae dentur. 5. Vt praestetur cautio de evictione. *Confer. D. Hahn Obs. VVesenb. p. 2. pag. 669.* ubi quod ejusmodi requisita ad amussim semper observari non possint, testatur.

XXXV.

De hoc quoque remedio. Dnn. Camerales in ante laudatâ Consultatione ad Imperatorem d. m. ita rescribunt: *ibi.* Ob aber vors ander/ den creditoribus könte oder solte zugemuthet werden/ an statt der baar gelihenen Geldmittel sich mit liegenden oder fahrenden andern stücken/ wieder iren willen/ zu ihrem Schaden zahlen zulassen/ so liege die gemeine Rechts Regul im wege/ *in d. l. 2. § 1. & d. l. 16.* welche General Regul gleichwol ihre gewisse moderation vnd Abfall leidet/ *juxt. d. Auth. & d. N. 4. c. 3.* Bey deren Versehung wir es auch vnsers theils/ jure tamen hypothecarum ubique salvo, ohn ferner deduction bewenden lassen/ vnd keine gnugsahme Vrsach sehen/ warumb die allgemeine beschriebene Rechten Verordnung vnd dero disposition dißfals solten beygesetzet werden. *Hactenus Cameral.*

XXXVI.

Quid vero per sanctionem pragmaticam novissimam circa hunc punctum constitutum, ac in quantum dictae consultationi ab Imperatore Statibusque Imperij subscriptum

 fit,

ſit, videre licet *in d. §. 165. verſ.* oder auff den Fall. Nempe, quod debitor (ſi pecuniam numeratam non habeat, nec ſibi comparare poſſit, ſicque in claſſe egentium debitorum ſe caſu fortuito poſitum eſſe probaverit,) bonorum mobilium vel immobilium in ſolutum datione, (creditori tamen, juxta juris communis diſpoſitionem, electione ſalvâ relicta: & prævia æſtimatione juſtâ & quæ ex collatione, valoris tum præteriti tum hodierni temporis ſit ineunda, auff das Mittel geſtelte Schatzung) quæ nec creditorem nec debitorem lædat, & quam alibi Iuſtinianus juſtam diſtrictamque vocat. *Nov. 120. c. 6. §. 2.* ſe à nexu obligationis liberare poſſit, creditorque, ut ut aliàs acerbus, illa accipere obligatus ſit. Si enim Creditores inſtant urgent, creditum exigunt, *d. N. verb. verum creditor ardeat aurum omnimodo quærens*, datione bonorum in ſolutum illis à debitoribus ſatisfactio fieri poteſt. *arg. l. 5. C. de O. & A. l. 42. de R. I. d. §. 165. ibi.* anzunnehmen ſchuldig *arg. d. l. 7. de LL.*

XXXVII.

De cœtero, multum hic, habitâ temporis, perſonarum, circumſtantiarumque ratione diſcreti judicis arbitrio tribuendum eſſe, ſæpe dictus, Receſſus, res ipſa, & praxis quotidiana teſtantur, *d. l. 137. §. 2. de V. O.* Quanquam & illud, quod expreſsè abrogatum non eſt, adhuc obſervandum eſſe, mutuumque manere ſtricti juris, dicendum ſit, *arg. l. 27. C. de teſtam. l. 32. in fin. C. de appellat. arg. N. 18. c. 5. Confer. Menoch. A. I. Q. c. 2. caſ. 145.*

XXXIIX.

Forma accidentalis eſſe poterit, quod, ſicuti emptioni venditioni pactum in diem addictionis licitè ex partium contrahentium conventione, apponitur, ita & dationi in ſolutum

solutum voluntariæ, adjici posse, nulla vel juris, æquitatis, vel justitiæ ratio repugnet, quin potius utilitati tam creditoris quam debitoris conveniens sit, *Confer. l. 1. l. 4. §. f. l. f. ff. de in diem add.*

XXXIX.

Effectus dationis in solutum est, quod 1. observatis requisitis, obligationem exstinguat, *arg. pr. I. quib. mod. toll. oblig.* ac sic liberatio subsequatur. Hinc, re in solutum data, dominium transferri patet, *arg. l. 46. de solut. l. f. ex quib. caus. in poss. l. 24. pr. de pignor. act. Forst. de domin. c. 8. n. 14.* 2. Quod ab illâ recedere non liceat, *text. l. 10. C. de solut.*, 3. quod ex extrajudiciali oriatur actio ex empto & vendito. *Asin. de execut. §. 4. c. 4.* Notabilis etiam hic 4. effectus est; quod à creditore, qui pro pecuniâ fundum in solutum accepit, atque postea pluris illum vendidit, id quod excedit summam debiti, debitor repetere nequeat *text. express. l. 24. C. de solut. ibi Perez. arg. l. 10. de R. I. l. 3. ad l. falcid.* Quod item 5. litis denuntiatio obtineat, *arg. l. 4. C. de evict. Carpz. Ipr. for. p. 1. C. 3. D. 23.* Alij in *l. 15. §. 33. de damn. inf. l. 26. §. 2. mand. l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pig. solv.* recensentur. *Vid. Alex. 1. Consil. 52. Iudicialis* autem dationis in solutum quinam effectus, *tradit Menoch. Consil. 1173. Decian. Consil. 35. lib. 2. Decius. Consil. 592. &c. Fachin. 1. C. 20. vers. altera controv.* Quod autem in dubio præsumatur voluntaria magis, quam judicialis, testatur *Alex. d. consil.*

XL.

Pignoris tamen naturam non mutat: Si enim prædium pro soluto datum, quod alijs creditoribus obligatum fuerat, jure evictum, actio utilis contra debitorem competit, *text. l. 4. C. de evict.* Securitas itaque creditoris nititur

titur

titur illa cautione, *de quâ thes. 34. n. 3.* quâ creditum ante dationem in solutum confirmatum erat; Nam si pignoris nexu aut fidejussorum sponsione vel juratoria creditori cautum fuit, (admittitur enim debitor ad cautionem, quæ quæ illi possibilis sit, *d. N. c. 3. vers. qualem omninò dare possibile est.*) quando res in solutum data evincitur, quæ eâ de causâ actio competiit, ob tacitam conditionem, quæ inest dationi in solutum, ut valeat, si res transitura & permansura est in dominio accipientis, adhuc durat. *vid. Hering. de fidejuss. c. 20. §. 21.*

XLI.

Hinc si quis rem alij obligatam, dissimulatâ actione, per calliditatem alij distraxerit, vel permutaverit, vel *in solutum* dederit, crimen stellionatus committit, *text. l. 3. §. 1. ff. de crim. stellion. l. 16. §. 1. de pign. act.* planè etiam, si res aliqua in solutum daretur simpliciter, quæ postea reperta servire vel obligata, remedio *d. l. 4.* uti licet. *Confer. Sich. in Codic. ad tit. de evict. n. 8. Marilian. decis. 9. & 52.* Re enim alienâ, vel alteri jam tum obligata, in solutum datâ, obligationi non est satisfactum; cum non sit translatum dominiũ; *arg. l. 54. de R. I. text. l. 46. de solut.* plane, si quis per dolum pluris æstimatum fundum in solutũ dederit, non liberatur, nisi id quod deest repleatur. *d. l. §. 2. de solut. Non obst. l. 15. ff. de Re Iud.*

XLII.

Contraria sunt, 1. Quod, si in datione in solutum extrajudiciali læsio ultra dimidium contigerit, detur *beneficium l. 2. C. de rescind. vendit. arg. d. l. 4. d. l. f. ex quib. caus. in poss. l. 6. C. de solut. Mantua Consil. 70. v. 1. n. 5. seqq. Consult. D. Habn. all. observ. p. 1. pag. 625. vers. controversum. ubi praeiud. Iudicialis* autem requisitis de jure solennitatibus, an rescindatur? *vid.*

l. 5. l.

l.5. l. 6. C. de fid. & iur. hast. fisc. l. 1. C. de remiss. pignor. text. eleg. l. 10. C. de rescind. vendit. Berlich. p. 1. concl. pract. 81. D. Carpz. d. p. 3. C. 15. D. 27. Consult. D. Schütz antè laudatus prælect. ff. vol. 2. tit. de reb. auth. iud. possid.

XLIII.

Sic 2. & *Iuri Retractus* in ea locum esse patet: Cum enim, uti antea dictum, dationis in solutum effectus ferè cum emptione ac venditione idem sit, in hac autem locum sibi iste vindicet. non sine ratione ad dationem in solutum hoc est extensum, extensione sc. quadam comprehensivâ, *arg. l. 2. C. de resc. vendit.* præsuppositis nempe terminis habilibus, qui in quolibet actu præsupponendi. *Mng. de super. territ. th. 54. vid. D. Reink. in tract. elegantiss.* (uti vocatur, *à D. Hahn. d. observ p. 1. pag. 638*) *de retract. consanguinit. quæst. 4. n. 53. seqq.* ubi id etiam ad judicialem extendit. *add. D. Knipsch. tract. sing. de fideicommiss. c. 11. n. 50.*

XLIV.

Affinia sunt 1. *Emptio venditio.* Etsi enim nonnulli hæc duo plane confundant, quin tamẽ adhuc differentijs suis specificis, ac qualitatibus essentialibus differant, omninò negari non posse arbitror. Ratione quidem effectus quædam affinitas in hisce apparet, inde tamen ad confusionem materiarum juris à ICtis nostris distinctè tractatarum progredi non licet. *Confer. Rot. Genuens. decis. 4. Menoch. cons. 201. Boër. decis. 49.* Tenendum etiam, brocardicon illud juris, *à Consult. D. Reink. d. tract.* allegatum, Quod surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur, *l. 10. §. 2. si quis caut. jud.* notabiliter limitari: Quod res surrogata non intelligatur, nec cadat in obligationem prioris, nisi ex re primâ sit orta, aut nisi expresse hoc cautum sit, *Aut*, nisi di-

versa qualitas interveniat. *Goedd. Consil. Marp. vol. 3. consil. 33.* Nec omne simile idem esse testantur, *text. eleg. l. 10. §. 4. de iur. dot. l. 4. §. 31. de dol. mal. & met. exc. l. 2. de jurej. l. 40. pr. de pecul. l. 2. C. de rer. permut.*

XLV.

Affinis 2. est Cessio Bonorum, *de quâ th. 7. Convenit* hæc, quod utrâque quis liberetur à carcere & molestijs creditorum. *Differt*, quod in hâc cogatur debitor omnia bona sua dimittere, non vero in illâ. Sunt & nonnullæ aliæ differentiæ, *de quibus Dd. passim.* 3. *Adjudicatio*, quæ tamen & ipsa à datione nostra differt, *Ioh. Bapt. Asin. de execut. §. 4.* 4. *Permutatio* 5. sic species in solutum dationis, est *cessio nominis de quâ Mev. d. tr. c. 7. n. 16.*

XLVI.

Hæc pro ratione temporis adduxisse sufficiat. Fateor equidem, multa ad discutiendum adduci potuisse, ast reservo hæc in aliud tempus. Plura qui nosse satagit, *vid. Tusch. conclus. pract. verb. h. Thesaur. decis. 147. Berlich. d. p. 2. dec. aur. 196. & 296. Menoch. cons. 1182. 1183. 1111. 1173. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 5. & p. 3. c. 9. Köpp. decis. 25. Alex. d. cons. 52. Fulgos. consil. 190. & 136. Fachin. 6. C. 55. 4. C. 39. 10. C. 63. Cæsar de bon. in solut. dand. qui in tract. tractat. extat.* & alios Dd. In hisce itaq; materiam hanc concludo, cum Deo, cujus infinitæ bonitati & clementiæ gratias ago maximas, quod S. S. auxilio adesse voluerit.



CO-

COROLLARIA.

I.

Magnatum filiæ, acceptâ dote successioni paternæ, interveniente corporali juramento, licitè renunciant.

II.

Non sine ratione in cooptatione Statuum Imperii, inter alia requisita & hoc habetur, ut, quicunque in horum numerum cooptari, sessionem & votum in Comitiis habere velint, acquirant immediatè in Imperio sita bona, ad dignitatem talem sufficientia.

III.

Non datur appellatio à principe malè informato ad meliùs informandum: Nec ab Imperatore

tore ad Pontificem: Nec à Camerâ Imperiali ad Imperatorem.

IV.

Tolerari potest divisio, quod sit alia plena, alia semiplena probatio.

V.

Alimenta incestuosis etiam de Iure Civili deberi, æquius ac verius.

VI.

Non sine ratione institutum, ne pater inter duos liberos testimonium ferre possit.

VII.

Ut litium causa vera, avaritia ac libido Mortalium quotidiè invalescens: ita remedium verum in illorum legitimâ educatione positum esse non improbabiliter asseritur.

VII.

Potestas vendendi liberos patri tempore necessita-

ceßitatis lege concessa, matri non competit.

IX.

Pater filium nolentem, jure suo, ad ineundum matrimonium cogere nequit.

X.

Maritus refractariam uxorem leviter castigare. Non tamen ob non solutam dotem domo expellere potest.

F I N I S.

Eximio Domino Candidato amico carißimo

De Inaugurali dissertatione ex animo gratulor

HENRICUS HAHNIUS D.

NUper ut ad viridem venit BRVGGENIVS Elmum,
Stant ubi Iuleæ pulpita sancta domus,
Ecce Themis, Charitumque cohors, Sophiæque magistræ
Plaudite, dixerunt, plaudite, Noster erit!

Ille catenatos infractâ mente labores
Sat tulit, hic tandem digna brabeja feret,
Nobile mox specimen Studio maturus & Æquo
Edet, mox Elmo rursus abibit ovans.
Accipe, docte, tua, BRUGGENI, præmia pugnæ,
Ampla tibi merces sedulitatis adest:
Accipe promeritos olim reverenter honores,
In Themidis porro gratus amore mane:
Sic proceres inter geminis numerabere juris,
Et tua post mortem fama superstes erit.

SIc est, virtutem sequitur sua gloria, corpus
Sole micante suum ceu solet umbra sequi.
Illius ast pretium nòn cunctis constat, & error
Sæpiùs indignis magna brabeja dedit.
Sunt etenim pauci, quos Iuppiter æquus amavit,
Et Titan finxit de meliore luto,
Qui nec fallaci ducantur imagine rerum,
Nec verè dignis præmia justa negent.
Iulia, *Brüggeni*, præprudens arbitra rerum
Iustè decrevit, texere serta tibi.
Serta, quibus tantùm dignos præcingere gaudet,
Et queis selectos munerat alma suos.
Hos inter numerat Te, *Brüggi*, Iulia nostra
Quæ rigidè Vates arte probare solet.
Hoc certè (quidni dicam?) te nomine faustum
Censeo, quod tanto detur honore frui.
Id meruit virtus, cui deditus esse solebas,
Id labor & studium promeruêre tuum.

Præte:

Præterea egregijs es Præceptoribus usus,
Quos Romanorum Rex amat atque fovet.
A quibus hausisti Themidos penetralia, quidni
Illius ad culmen scandere jure queas?
Næ, si per varia impedimenta liceret, *Amice*
Turbaque se facilem Melpomenæa daret.
Carmine percuperem mea gaudia dicere longo,
Affectus multis & documenta darem.
Sed vetor & paucis cogor comprendere vota,
Ex imo tibi quæ corde profecta fero.
Vrge successus; felicibus utere fatis,
Sentiat ingenij publica dona salus.
I quoque perlætus, quo Te Tua gloria, vitæ
Integritasque tuæ, quò pia vota vocant.
Post spes, post varios exantlatosque labores
Sistat in optato se tua cymba loco.

Ita Eximio Dn. Candidato domestico, convictori & amico suo charissimo gratulari voluit.

JOANNES Eichel.

CL. V.

Dn. Wolrado à Brüggen.

Amico animitùs dilecto.

Longum pollicitus carmen, scribo breve, Quæris
Cur? Puto jam scriptis carmen inesse Tuis.
Scilicet haud opus est verbis, ubi copia rerum est:
Externique nihil Solis imago cupit,

Perge

Perge modò & primâ vulgus qui vincis arenâ,
Lætus ad æthereas scande per astra domos.
Astræa ex voto faciet satis, inque solutum
Nil dabit, *ast digno digna brabea* dabit.

Felicitatem omnem apprecatus
αὐτοχειρὶ. f.

ENOCH GLÆSER
I. V. D. & Prof.

